Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1375
Quelle:
Copyright:



*tractibus. Et deinde sequitur tractatus Magistri hainrici De oyta.* Prior duabus Partibus constat, quarum Elenchus antecedit. Initium est: *In Sudore vltus tui vesceris pane tuo. Tanta erat illius prime transgressionis culpa* &c. Egimus de hoc Tract. ad *Cod.* CCXLI. In praesenti subscribitur: *Explicit tractatus de contractibus quem edidit egregius Theologie doctor Magister hainricus de hassia In Sollempni Studio Wenensi. Anno. 33.* qui utique non editionis sed descriptionis annus est, Autore verisimiliter anno 1325. nato et 1397. vivis exemto.

III. *fol.* 133. itaque: *Incipit tractatus M. Hainrici de oyta de contractibus in 19. Questionibus seu dubijs.* Initium: *Diligite Justitiam qui iudicatis terram* &c. De hoc quoque egimus ad *Cod.* CCXLI. Hic subscribitur: *Explicit Tractatus de Contractibus Venerabilis magistri Hainrici de Oyta quem edidit in Sollempni studio viennensi.*

IV. *fol.* 169. *F. Humberti, Huberti, Imberti de Romanis* O. P. Magistri generalis *quinti*, qui obiit a. 1277. *Tractatus de Praedicatione Crucis.* Constat *Capp.* XXXII. si praeviam de ejus usu instructionem accenseas, quae incipit: *Ea que infra scripta sunt de pertinentibus ad crucis predicationem contra saracenos ad hoc valere debent et possunt, ut predicatores crucis nondum in tali predicacione exercitati materiam hic inueniant huius exercicij* &c. Opus ipsum inchoat: *Sanctus sanctus sanctus dominus deus exercituum. Isaia 6.* Cap. 3. agitur *de triplici suffragio faciendo terre sancte.* C. 4. *Quare crux imponitur pergentibus in subsidium terre sancte.* C. 5. *Quare crux ponitur in humero.* C. 6. *Quare in humero dextro.* C. 7. *Quare publice.* C. 8. *Quare per manum ecclesie.* C. 9. *Quare nullus ad hoc cogitur.* C. 10. *De primaria crucis signacionis invencione*, quo tota *Petri Heremitae Galli* aulas *Europaeas* obeuntis historia narratur &c. Vides Libellum ineditum, qui tractaturo de sic dictis *Cruciatis* opportunus esse possit; de iis enim hactenus tractando *Iliacos intra muros peccatum* fuisse *et extra*, quivis veritatis amans facile adfirmet. Ad calcem isthaec cubat subscriptio: *Explicit tractatus venerabilis magistri Humberti ordinis fratrum predicatorum quondam generalis de predicacione crucis.* Meminit ejus *Jac. Echardus* T. I. *Scriptt. O. P.* p. 146. quin et *Codicis* nostri T. II. p. 817.

V. *fol.* 189. *De sacramentis iterandis vel non.* Dissertatio scholastica in *Replicas* divisa hoc ingressu: *Quoniam sacramentorum quorundam iteracio* &c. Replicae sunt: *de Baptismo, de Catechismo et exorcismo, de sacramento confirmacionis, de sacramento eukaristie.* Et in hac deficit Exemplar his verbis: *Item dicit Thomas in Vltima parte sentent. et addit quod* — — Itaque cum reliquis fortassis et nomen *Autoris* periit.

Codicem